

DE ORIGINE, ATQUE HISTORIA CIVITATIS ALEXANDRIÆ

Raphaelis Lumelli Alexandrini, atque clarissimi sæculi XVI. scriptoris Commentaria.

Fluctuabant universæ Italiæ civitates, ac bellis intestinis maximis tempestatibus exagitabantur, nec ullus Euripus tot, tantæque civit unquam tempestates, quot, quantisque Italia suo pondere ruens procellis premebatur. Animi enim mortalium dominandi libidine accensi, omnia venalia habebant, nihilque tam tutum, nihilque tam sanctum erat, quin illamet cupiditas præfigeret. His accedebat orientis imperio cum occidentali non levibus ex causis, & suspicionibus 20 diffidium, quæ res magnopere Christianam Rempublicam labefactans Saracenorum, ac Persarum vires augebat. Nec his tantis malis quies apparebat ulla, quin imo Federicus Ænobarbus Romanorum Imperator, qui Rempublicam Christianam sartam tectam præstare debebat, illam penitus violare, ac prorsus evellere conabatur, dum arbitrato suo de summo Pontifice non secus, ac si utrumque gladium sustineret (*decernere vellet*). Forte enim Alexander III. Pontifex, vir omnibus vir- 30 tutibus ornatissimus, & de Orbe Catholico benemeritus, Sedi Apostolicæ moderabatur, in quam canonicè a viginti duobus Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus electus fuerat; & dum Octavianum quemdam civem Romanum a tribus solummodo Cardinalibus Apostolico solio impositum, Federicus quo jure, quaque injuria defendere conatur, statuit ad se utrumque vocandum, ut coram se de juribus partium statueret. Victor (ita enim vocabatur Antipapa) se lubenti animo hoc judicium subire affir- 40 mat. Cæterum id non passus Alexander, cernens id non esse e dignitate Sedis Apostolicæ, ut Laicus de re sacra judicium ferret, judicium Imperatoris detrectavit, aperte hoc illi per litteras significans nimis grave esse, si Romanus Pontifex, cui claves regni Cælorum a Christo commissæ, ac concredita essent, judicium Dominus prophanus susciperet de re Ecclesiastica; propterea se illum hortari, ac monere, ut ab hac cogitatione descederet; alioquin si in ea perseveraret, se honori pontifi- 50 cio, dignitatique suæ non defuturum.

His literis acceptis graviter commotus est Imperator; quæ autem eundem ab hujusce rei cognitione deterrere debebant, altius commoverunt, atque postmodum ea bella exacuerunt, quæ mox summo Reipublicæ Christianæ detrimento sunt subsecuta.

In hoc igitur turbulento rerum statu Montisferrati Marchio ne ipse quidem quietem ferre poterat, sed summa industria, ac omnibus viribus fata- 60 gebat populos suo imperio finitimos subijcere, nullo alio jure suffultus, quam quadam Othonis Imperatoris investitura, quam jam usque de anno

nonagesimo sexagesimo septimo Alderamo primo Marchioni concesserat, quæ cum parum ad rem faceret, ridicula, & inanis quodammodo videbatur . . . , qui eosdem vicinas sibi populos continua excursione premebant, illosque graviter urgebant, conjunctisque armis cum Marchione ipso, qui secum foederatus in dies magis iram exacuebat, quod cerne- ret agros fertiles, & fœcundissimos horum populorum suæ regioni valde usui fore; & propterea armis tentandam rem existimabat, quod etiam ab se, & a prædecessoribus suis diversis temporibus factum (etsi infeliciter) cernebat, sive bellum inferret, sive illatum propulsaret.

His igitur molestiis affecti memorati populi ea tempestate turbolenta, ac tot, & tantarum discordiarum plena, cum viderent inimicorum ferociam, ac audaciam se ferre minus posse, cogitabant, quo pacto ab injuriis vicinorum se vindicarent, & de faucibus eorum eriperent, cum præsertim ad hoc cogitandum, & deliberandum propemodum cogere- ret bellum, quod tunc gerebatur non aperte, sed maxime insidiosum, cum modo hoc, modo illud paulo interjecto tempore oppidum occuparetur.

Qua re populi in certam diem indictis comitiis consilium indicunt, quo de communibus acturi conveniant: conveniunt frequentes, diuque, & multum agitata re, visum est optimum factu negotii summam certis demandari viris, qui diligenter caverent, ne Respublica octo locorum (tot enim fuerunt) quid detrimenti caperet; coierant enim in amicitiam Gamundium, Marengum, Roboretum, Bergolium, & illi de Quadraginta familiis, Sole- rium, Villafori, & Vuillæ ad hoc periculum propulsandum. Quare dicta die viri delecti summa diligencia in unum Roboretum convenerunt, quorum unius tantum mentio Emanuelis Boidi ad nos, manusque nostras pervenit, quem fuerunt locutum fuisse in hæc verba. „ Si a nobis tandem delibe- 50 randum est, quod universi municipes nostri om- nibus votis optant, ut nos ipsos, nostrasque om- nium familias a tantis malis, quæ quotidie nobis infert Marchio Montisferrati, qui nos odio „ infensissimo, atque adeo implacabili persequi- tur, eripiamus, nullam aliam viam præsentio- rem reperio, licet paulo durior, & asperior videatur „ quam si relictis patriis sedibus, locum novæ ur- bis condendæ aptum perquiramus, in quo urbem „ construere, ædificareque possimus, aggeribus, „ valloque, & fossa circumdemus, in quam opes, „ fortunasque omnes transferamus, domiciliumque „ sempiternum nobis, posterisque nostris statuamus. „ Non enim ex re nostra est, ut inimicorum viri-